AD SIXTVM. V.
PONT. OPT. MAX.
Carmina
P. F.



VENETIIS, Ex Typographia Guerræa.
M D LXXXVIII.

QVAE celebrare tua aſſueuit Pater Optime Geſta,
Muſa Tibi hæc humili carmina corde dicat:
Teq; unum admirans, ueneransq; intendit id unum,
Nomen ut extollat ſydera ad alta tuum.
Agnoſces illam (credo) nam ſæpe canentem
Audiſti laudes Maxime SIXTE tuas.

DE TRANSLATIONE CORPORIS PII V. PONT. MAX.

Ad Templum S. Mariæ Maioris.

IMPERIO SIXTI QVINTI dum
effertur ad almas
E Vaticano exquilias comitante caterua
Innumera, & magna effundenti ſe vndique Pompa
Per medios Vrbis vicos, cœtusq́; frequentes
Rite PII Corpus QVINTI, quod lædere nunquam
Tempus edax auido fuit auſum dente, nec ipſa
Mors deformare id valuit, quæ Corpora nullum
Ius habet in ſancta: Obſtupuit Rex inclytus ille,

Romani quondam Imperij qui rexit habenas,
Atque ſibi ingentem claras ad Tybridis vndas
Erexit Tumulum, aurato ac Diademate cinctum,
Extollens caput, ac uenerans SIXTVMQ. PIVMQ.
Cæſareo altiſonas effudit pectore uoces.
Immenſam hanc Molem noſtram iam deſine Roma
Mirari, atque illud tam inſigne, ingensq; Sepulchrum,
Quo Regina ſui ſeruauit Coniugis oſſa,
Quicquid & his ſimile admiratur Maximus Orbis:
SIXTVS enim QVINTVS me longe maior, & ipſo
Mauſolo, atque alijs Orientis Regibus alte
Erigi, & in ſacra uenerandum Sede locari
Marmore conſtructa è pario, circumlita & auro
Iure PII Corpus QVINTI imperat, exquillino
Vertice ubi attollunt ſe ad Cœlum Templa ſupremi
Sacra DEI Magnæ Genitrici: Hoc ſæcla futura
Mirabuntur Opus: celſi, gratiq; perenne
Hoc Monumentum animi obſeruabunt; maxima Geſta
Pontificis SIXTI, laudesq; ad Sydera tollent.
His dictis Heros Tumulo ſe condidit imo,
Et Capitolino Tarpeia è culmine Virgo
Annuit, æthereas Voxq; eſt audita per auras.
Pontifici QVINTO QVINTVM decorare decorum eſt,
Sanctaq; Relligio eſt QVINTIS decorata Duobus.

DE AQVADVCTA A SIXTO QVINTO PONT. OPT. MAX.

In hortos, Aedesq; ab ipſo conſtructas.

TYBRIS ob aduectos longinquo ex Orbe Triumphos
Seſe adeo undanti attollebat gurgite, ut altas
Exuperans ripas mediam percurreret Vrbem,
Nec pateretur aquis alijs Aditum inde patere:
SIXTVS at indignans QVINTVS tam elata fluenta
Tybridis, aſſueto flumen depreſſit in Alueo,
Perq; iter occultum, longumq; e fonte remoto

Ducit

Ducit Aquas placidas, ac lætos irrigat Hortos,
Quos non occiduis ueluti Draco ſeruat in oris
Peruigil Heſperidum fulgentia ab Arbore Poma;
At magni è Lybica nuper Regione profecti
Effundunt lymphas generoſo ex ore Leones,
Queis Leo Cœleſtis tam claras inuidet undas,
Siquando ardenti Phœbus premit arida Curru
Illius terga inſiſtens, terraſq; perurit:
Quin etiam Nero Tartareis damnatus in umbris
Eſſe ſuis Thermis raptum triſtatur honorem;
At uero Elyſia lætatur Valle Quirinus
Exquilias, collemq; eius de nomine dictum
Perlui Aqua, SIXTVS quà ſe proſpectat, & ora
Sacra, munuſq; pias ſanctaſq; aſpergine plantas
Perfundit, quibus Indus, Arabs, Medus oſcula figent.
At tù perpetuo pede labere, & ablue amœnos
Lympha hortos, neque te turbent Armenta, Gregeſq;
Neue gelu, aut Aeſtus lædant, obſtacla nec ulla
Incœptum remorentur iter tibi: neue prophanus
Quiſquam haurire tuo latices e gurgite puros
Audeat, ipſe ſuo ſacram te numine SIXTVS
Reddidit, &, qui ſunt mage clari, fontibus æquam.
Nec iam Caſtalium caſtæ libare liquorem
Amplius, errare aut frondoſa per auia Muſæ
Parnaſſi cupient, tua ſed libamina docto
Guſtabunt ore, atque colent regalia Tecta,
Florenteſq; hortos SIXTI, quem ſuaue canentes
Carminibus cultis celebrabunt omne per Aeuum.
Tu grata interea tam inſigni munere SIXTI,
E fonte

E fonteig noto qui te perduxit in Vrbem.
Inq́; ſuis proprijs admiſit leniter hortis,
Dum celeri curſu Tyrhenum tendis in æquor,
Extremas SIXTI nomen iam perfer in oras.
Quod ualeat nunquam longæua abolére Vetuſtas.

F I N I S.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google